

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Capvt IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

Domino docente, tolerare decrevimus. Deinde Paschalem excusat, si necessitate cogente, ad vitandam populi stragem, prudenter rigorem decreti remisit.

[Eiusdem argumentum extat epistola Hildeberti Cenomanensis in tomo i v. Spicilegium Dacheriani, quam nos olim dabimus emendatiorem in nova quam paramus editione epistolarum ac reliquarum lucubrationum illius Episcopi.] Steph. Baluzius.

privilegium apostolica sedis ea de re praecesserat.

X. Lex ista videtur contraria constitutio Innocentij III. qui admittit ad beneficia undeconque natos. Innocentij constitutio aqua est in sua specie. Veteri iure, Episcopi eligendi e clerici cuiusque civitatis. Fus illud ex parte resumendum lege Caroli, ut saltem in regno petantur. Diu reguli deducit ex illa constitutione.

C A P V T I X.

Synopsis.

I. Initio seculi decimoterii Ecclesia Gallicana invenatur Libertates suas, solo diffensu. Conventus Bituricensis contradixit mandatis Romani Cardinalis, de collatione duarum prebendarum in unaquaque Ecclesia. Ea de causa Legatus abstinuit ab executione mandati.

II. Eodem seculo Lincolniensis Episcopus his collationibus non consensit. Ejus rationes; & contradicitione aliena à contumacia. Clausula. Non obstante, tunc invalescere cōpīt.

III. Non admissis quoque rescriptis illis, Galli iura sua tuebantur, Olim Clerici à Pontificibus commendati. Deinde adjuncte sunt mina excommunicatioeum. Initium hujus coactionis circa tempus Lucy III.

IV. Episcopi Gallicani in his angustiis patrocinium regium implorarunt. Tuitionis regie pro custodia castorum nondum erat deleta memoria in tertia dynastia ut probatur ex Ivone. Eam tuitionem à B. Ludovico expopisci Ecclesia Gallica, ad conservanda iuris Collationum, & iurisdictionem, adversus novitatem cui rei Ludovicus profexit suo Edicto.

V. Inde est quod Philippus IV^m, monuit Clementem
et ministerium Episcoporum impedire in causa Tem-
plariorum. Se, salvo sacramento suo, id tolerare non
posse.

VI. Quod explicandum est de sacramento presito tempore inaugurationis regie. Ejus antiqua formula, qua promittitur conferatio privilegi canonici, à Philippo. Que ducta videtur à formula concepta ab Hincmaro. Ea dicta est olim perdonatio, non sacramentum Imperatores C P. Spondebant fidei & canonum custodiā.

*VII. Iure collationum & electionum sublati per Reservationes & Gratias expectativas, regium auxilium implorata ab Ecclesia Gallicana ad eorum restitutio-
nem, Carolus VI. ius antiquum aduersus novita-
res Edictis suis ea in parte restituit, & magistratibus
suis executionem commisit.*

VIII. Decreta Basileensia confirmata lege regia; cuius executio mandata judicibus regis, qui contumaces plecterent. Comitia regni praesidium Libertatum Ecclesie Gallicane a solo Regi expellandum fatentur anno millefimo quadrageintesimo nonagesimo tertio Reges propeissime canonum restituunt, lege generali, & iunctu magistris etibus exequendi cura. Quod probatur Edictis B. Ludovici & Caroli VI. & VII.

*IX. Aliquando Reges ex officio novitates adversus
mores receptos repellebant, si ex iis detrimentum regni
sequeretur. Id factum a Carolo VII, lege data, qua
extraneos a beneficiis removebat. Renente Papa bis
incommodis consulere, imperio suo id egit. Nullum*

PER STABAT adhuc idem usus in Gal-
lia anno M C C X X V I . per solum dis-
fensum Regis , Episcoporum , & Procerum ,
Libertates suas tuente Ecclesia Gallicana ,
Cùm enim Romanus Cardinalis Concilium
illius Ecclesiae Biturigibus coëgisset , ut Al-
bigensium & Comitis Tolofani negotiis
prospiceretur , re illa conœcta , de reerva-
tione duarum præbendarum in unaquaque
Ecclesia vel monasterio , arbitrio Summi
Pontificis Romanis Clericis conferenda-
rum , cum Episcopis & Abbatibus agere
voluit . Sed Procuratores Capitulorum (qui-
bus abeundi copiam Legatus fecerat , quasi
Concilio soluto , ne intercessionibus suis om-
nia turbarent) cum eo graviter expostula-
runt , quòd mandatum Papæ in Concilio
non exposuisset , ipsis præsentibus , quorum
maxime intererat : Legatum rogant ut ab ea
re persequenda temperet , quæ ab his gravi
scandalo & omnium offensione effectui tra-
di non posset , & cui renitantur non solum
Episcopi , sed etiam Rex ipse , & proceres
regni . Aliam esse rationem Galliarum &
longè diversam à ceteris regnis . In illis enim
mandatis Papæ decretam fuisse Præbenda-
rum reversationem ; sed in Gallicana Eccle-
sia , rem istam adeo insolitam , totius regni
consensu indigere . Retulit Matthæus Paris
Procurator susceptionis his verbis .

Procuratorum lugdgelationem his verbis: *Vnde rogamus in Domino ne istud scandalum oriatur per vos in Ecclesiis Gallicana, scientes quod sine maximo scando & inestimabili danno non posse hoc ad effectum perdidi. Quia esto quod aliquis assentiret, nullus esset ejus assensus in rebus que omnes tanguntur; cum fere omnes maiores, & generaliter omnes subditii, neconon ipse Rex, & omnes Principes, parati sint contradicere & resistere usque ad capitinis expositionem & omnis honoris privationem; praesertim cum videatur imminere propter hoc scandalum subversio regni & Ecclesie generalis.* Ratio autem nostri timoris est, quod cum ceteris regnisi non habuistis rationem, & quibusdam Episcopis praceptis & Abbatibus ut cum prebenda vacaverint, ad opus Domini Pape reservent. Literis Pontificis palam lectis, quibus duarum praebendarum collatio retinebatur, Legatus praecipit ex haustis, persuadere conatus est Concilio ut consensum huic mandato praeberet. Sed cum nihil obtinere posset, in modo vero Procuratores Capitulorum sapienter monerentur

cavendam esse generalem secessionem, si universa Ecclesia premeretur, subjunxit Legatus, super hac quidquid precepit, tali conditione licet tacita intellexisse, si Imperium & alia regna consentirent. Adjunxit se nihil amplius super hac attentaturum, donec per regna alia Prelati consenserint, quod creditur provenire non posse. Vnde patet in re nova constituenta per Gallias, consensum Regis, Episcoporum, & procerum exquisitum fuisse à Legato, eumque à rescripto exequendo abstinuisse, ob Clericorum totiusque regni dissensum, & ob scandali imminentis & secessione periculum.

II. Eodem animo tuendae libertatis canonice ferebatur Robertus Lincolniensis Episcopus in Anglia, vir singulari pietate conspicuus: qui non expectato synodali decreto, sibi liberum putavit præcepto cuidam Innocentij IV. de conferenda Præbenda in sua Ecclesia reniti; quia juri recepto contrarium erat. *Noverit*, inquit, *discretio vestra quid mandatis apostolicis affectione filiali devoe & reverenter obedio; tis quoque que mandatis apostolicis aduersantur, paternum Zelans honorem, adversor & obsto.* Ad utrumque enim teneorex divino mandato. Infrā: Propter hoc his que in predicta litera continentur, unicè, filialiter, & obedienter non obedio, contradico, rebello. Mox: Breviter autem recolligens dico, apostolice sedis sanctitas non potest nisi que in edificationem sunt, & non in destructionem. Hę autem quas vocant provisiones, non sunt in edificationem, sed in manifestissimam destructionem. Non igitur eas potest beata sedes apostolica acceptare; quia caro & sanguis, que regnum Dei non possidebunt, eas revelavit, & non Pater Domini nostri Iesu Christi qui est in celis. Nec omitendum est, clausulam illam solennem, quæ in omnibus rescriptis hodie inseritur, non obstante constitutione hac vel illa, jam tum usurpari cœpisse. quod agre ferebat Robertus Lincolniensis, eo quòd in statuentibus inconstantiam designaret, cùm tamen leges constantia quadam & perpetuitate vigeant, nisi necessitate cogente aliquando remittenda sint. De illius litera, inquit, & ei consilium longè latèque dispersarum superaccumulato Non obstante, nec ex legis naturalis observande necessitate inducto, scatet catastrophus inconstans. Si quis immodesta cuidam petulantiae verba Roberti adscribenda putet, isante omnia Theodorici Regis Italie sententiam perpendat apud Cagliodorum: *Pro equitate servanda, & nobis patimur contradici.* Et eodem sensu Regis Athalarici: *Rarum confidentiali genus est, interdum resistere contra vota Principis.*

III. Gallis eriam nostris ea mens erat, ut

non admissis Romanæ curiæ rescriptis, quæ Collatoribus jura per canones quæsita afferabant, se ab iis novitatibus expedirent. Sed tandem Romanis Pontificibus æquum visum est ut suæ commendationis ratio haberetur. Commendationem vocavi, quia olim Episcopis Clericos aliquando fedes apostolica commendabat tantum, ut concessio Diaconi & Presbyteri gradu, eorum inopiam sublevarent; exemplo Gregorij Magni, qui Syracusano & Fanensi Episcopis duos Clericos commendavit. Sed posteri commendationes & preces in præcepta reverterunt; & præceptis, quæ, ut vidimus, à Collatoribus repudiabantur, Executores adjunxerunt, qui Episcopos ad Collationem cogerent, ut rectè explicuit Duarenus, Coactionis illius initia referri possunt ad tempora Lucij III. ad quam invitatus fuit à Stephano Tornacensi, cuius hæc sunt verba de Herveo Clerico commendato Canonico S. Aniani Aurelianensis: *Scripsit pro eo* Stephanus Torpa *felicitis recordationis pater Alexander (III.) Decanu & Canonicis sancti Aniani Aurelianensis. Scripsitis & vos primò & secundo. Sed neque preces neque preceptum vestram, quamvis tres prebende vacarent, voluerant audire. Absit, Pater, ut inanes sint preces vestre, contemptibilis auctoritas, elusorium præceptum; & nunc demum tanta, si placet, virtute intonet super eos majestas vestra, ut qui blanditiis juvari non potuerant, imperio discant vinci.*

IV. Cùm ergo Collationes beneficiorum, imo & episcopatum, & monasteriorum, ad se traherent Romani Pontifices, resistentes si quid contra eorum rescripta ageretur, additis excommunicationibus in contumaces, nihil reliqui erat penes Episcopos Gallicanos quin adeo severis præceptis parerent & Collationum jure caderent. Quare ad remedium extraordinarium confluserunt, scilicet ad tuitionis regiæ præsidium, pietate Regis Ludovici X. interpellata, qui his morbis editio suo consuluit. Nondum enim oblitterata erat in Gallia, præ custodia canonum, Regum nostrorum auctoritas: quam ab Ivone commendatam sciebant anno Mxcvi. Consultus enim à Philippo Rege quid agendum esset, si post habita eo anno duo Concilia ab Urbano II. Nemausi & apud Clarummontem, Hugo Legatus apostolicæ sedis ad tertium Episcopos invitaret, (quod alienum erat à canonibus, qui duas synodos tantum celebrandas præscribunt) respondet Ivo se nihil rescivisse de consilio Legati. *Quod tamen si faceret, non esset hec apostolica institutio, vel ecclesiastica consuetudo. Quod si quis eos (id est, Episcopos) ultra terminos à patribus constitutos ang-* Ff ij

*Gregor. I. 1. ep. 141.
I. 5. ep. 47.*

*Franc. Duarenus
lib. 1. de fact. Eccl. ministr. cap. 8.*

*Stephanus Torpa
cp. 109.*

*Vide lib. 6. cap.
31. §. 7.*

Ivo ep. 16.

riare voluerit, vos habito cum eis communis consilio, in iustis oppressionibus pro persona vestra resistite; sic ut quae Dei sunt, Deo reddantur, & que Cesaris sunt, Caesaris reddere non omitiant. Quare potestatis hujus memores Episcopi Galliani, subsidium à Ludovico Rege expofunt: qui Edicto suo, ita enim vocat, omnia jura canonica de beneficiorum provisioribus decreta, quae tunc primū convellebantur, in integrum restituit; electiones, collationes, & ceteras dispositiones secundum juris communis & Conciliorum definitionem fieri jussit, & Romanæ curiæ electiones inhibuit. Huic gloriosissimo Regi prima debetur Libertatis Ecclesiæ Gallicanæ restitutio, quam suo edicto post mutaram disciplinam in beneficiorum collationibus anno M C C L X V I I I . procuravit. quo uno capite contentiones inter Episcopos & Romanam curiam tunc ferè continebantur.

Statuimus & ordinamus ut Prelati regni nostri, Patronique, beneficiorum collatores, ius suum plenarium habeant, & unicuique sua jurisdictio servetur. Insuper Ecclesiæ cathedrales, & aliae regni nostri, liberas electiones habeant, & earum effectum integraliter prosequantur, promotionesque, collationes, provisiones, & dispositiones prælaturarum, dignitatum, & aliorum quo umcunque beneficiorum ecclesiasticorum regni nostri, secundum ordinationem & dispositionem juris communis, sacerorum Ecclesiæ Dei Conciliorum, atque institutorum sanctorum patrum, fieri voluntus & ordinamus.

V. Conscius erat sua potestatis Philippus I V . Rex Francorum, quando Clemens V. Pontificem sibi conjunctissimum serio monebat ut quae in Templariorum negotio agenda erant, Episcopis permitteret, nec forte demandaret aliis: quia hoc in gravem injuriam Episcoporum vergeret, à quibus ministerium ipsis à Deo creditum sine justa causa non debet auferri. ac præterea docet sibi liberum non esse ut ea æquo animo ferri possit, cùm sacramenti religione teneatur ad tuitionem jurium episcopaliū. Hic primus, ut opinor, jusjurandum prætendit ei officio probando quod ceteri Reges ad ministerium sibi à Deo commissum referabant. Ejus exemplo sequuntur deinde Principes Carolus V I . & V I I . sacramenti sui religiosam observationem edictis suis de restauranda disciplina ecclesiastica latis inservierunt. Hæc sunt manuscripti codicis

In Notis ad N. II. c. 12. T. 1. Liber Ecclesiæ Gall.

verba de Philippo VI. Gravis, quod ab sit, fieri injuria, si sine justa causa ministerium à Deo sibi traditum & defensionis fidei meritum auferretur ab eisdem (Episcopis); nec Prelati talēm injuriam meruerant, nec Rex salvo suo juramento posset hoc tolerare; estēque peccatum gravissi-

mum spernere eos quos Deus misit. Qui vos enim spernit, me spernit, ait Dominus. Quis ergo sacrilegus vobis, Pater sancte, presumet consulere quod vos eos spernatis, imo potius Iesum Christum mittentem.

V. Sanè non absurdâ est hujus sacramenti mentio; quod ea mente iisque verbis olim ita conceptum fuit, ut Reges tempore inaugurationis suæ, custodiā canonum subditis suis promitterent. Quod eò pertinebat, ut sponderent nec à se violandos canones, nec ab aliis. Extat illius sacramenti antiqua formula, quod Philippus I. patre Henrico Rege superstite ex illius auctoritate præstiti anno millesimo quinquagesimo nono. Ego Philippus Deo propitiante mox futurus Rex Francorum, in die ordinationis mea promitto coram Deo & sanctis ejus quod unicuique de vobis commissis (legendum, de vobis & Ecclesiæ vobis commissis) canonicum privilegium & debitam legem atque justitiam conservabo, & defensionem, quantum potero, adjuvante Domino exhibeo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissi per rectum exhibere debet, populo quoque nobis credito dispensationem legum in suo jure consistentem, nostra auctoritate concessurum. Hujus formulæ potiora verba transcripta sunt ex ea quam Hincmarus Remensis Archiepiscopus à se conceptam Ludovico Balbo Caroli Calvi filio porrexerat, cùm regnum Compendij susceptorus ungeretur anno D C C C L X V I I . Sponsio autem illa Ludovicus excerpta est à Capitulis quæ Carolus Calvus egdem anno apud Carisiacum statuerat. Quam quidem promissionem non sacramentum vocant proceres Gallicani, sed perdonationem: Est perdonatio quam dominatio vestra nobis fidelibus vestris perdonavit & subscripsit. Vnde Ladicus Balbus eodem verbo uititur in sponsione sua: Promitto & perdono vobis, id est, concedo & indulgeo. Ante illa tempora sponsio quidem à Regibus inaugurandis concipiebatur, sed aliis verborum solennibus, quamvis eadem significatione; ut pater ex repromissione quam Carolus Calvus præstít, cùm in urbe Metensi Lotharij regnum adipisceretur anno D C C C L X I X . Sciat me unicuique in suo ordine secundum sibi competentes, leges tam ecclesiasticas quam mundanas, legem & justitiam conservare. Quod etiam repetitum est in secundo capite conventus apud Carisiacum habiti. In eandem sententiam Reges Galliarum se deinceps usque ad hæc nostra tempora jurejurando adstrinxerunt, eti formulis diversis. More non absimili Constantinopolitani Imperatores, jam ab ipsius Anastasi temporibus, scripto, bæsi bæsanis, pollicebantur Patriarchæ fidei catholice

In Capitulo Isto
Vici II. Tit.

Capitulo Codd.
Calvi apud Cal.
Invenit Th. 111.

19.

Vide etiam Cap.
Ecclesiæ & Dei
apud eadem
apud Ferri. Th.
11. &c. 19.

11.

Capitulo Codd.
Calvi Th. 111.

11.

Capitulo Codd.
Calvi Th. 111.

11.

Capitulo Codd.
Calvi Th. 111.

11.

& canonum observationem, antequam Imperij insignibus induit & unguento delibuti essent; ut testantur Evagrius, Nicetas, & Codinus Europolates.

VII. Licet autem Edicto beati Ludovici prospectum esset nascenti morbo quo jura Collationum laborabant, paulatim tamen auctoritate Summorum Pontificum effatum est ut omnium beneficiorum immo & episcopatuum collationes ad se traxerint; quin etiam ad vacatura, per gratias expectativas, contra Concilij Lateranensis praescripta jus dederint. His reservationibus, & gratis, alisque similibus machinationibus in perniciem canonum inductis, Ecclesia Gallicana Parisis congregata remedium parans, electiones, collationes, & praesentationes secundum constituta generalium Conciliorum, nulla habita Reservationum & Gratiarum ratione, fieri decrevit. Sed quia impar erat Romanæ curiae auctoritati, tuitionem regiam adhiberi procuravit. Rex itaque Carolus VI. Ecclesiæ Gallicanae & Procuratoris regij petitionem, tractatu habito cum Consilio suo, synodorum decretis conformem esse animadvertis, Clerum Gallie ad suam libertatem antiquam & juris dispositionem, quoad predicta, reducendum esse censuit, & quantum in se esset reduxit, cumque in posterum in eadem libertate conservari voluit; atque edicti executionem Curis Parlamenti ceterisque magistratis commisit anno millesimo quadragesimo sexto. Observandum autem est summopere, edictum illud ita conceptum, ut ad tempus locum haberet, donec Concilij generalis decreto his rebus consultum esset. Sed postquam Concilium Constantiense spem Gallicanæ Ecclesiæ hac in parte destituit, idem Rex Carolus, coacto in concilium gravissimorum ex utroque ordine hominum confessu, Constitutionis anno M C C C V I. latæ executionem peremptoriæ decrevit anno M C D X V I. quam deinde edicto lato anno sequenti confirmavit, recessa Concilij generalis expectatione: Volui-
mus, ac prout alias ordinavimus, volumusque, & ordinamus, Ecclesiæ personæque ecclesiasticae corundem regni ac Delphinatus nostrorum ad suas antiquas franchisias & libertates in perpetuum reducendo, quod Ecclesiæ nostrorum regni & Delphinatus cathedralibus & collegiatis, & earum beneficiis electivis secularibus & regularibus, per electiones, & non electivis per presentationes, collationes, & institutiones Ordinariorum, quibus de jure communis seu consuetudine pertinet, secundum antiqua jura communia Conciliique generalia, de personis idoneis provideatur; cessantibus & rejectis omnino ac nonob-

stantibus quibuscumque & quorumcumque Reservationibus generalibus vel specialibus, ac prohibitionibus, expectationibus, aut Gratis, etiam cum Decreti appositione factis aut faciendis concessis seu concedendis. Precipit deinde Curis Parlamenti & ceteris judicibus ut executioni hujus Constitutionis diligentissime incumbant, & contumaces, cujuscumque gradus & ordinis fuerint, graviter plecant, ut infra dicti Edicti regij reos.

VIII. Tandem cum rebus ita ferentibus Basileæ multa decreta essent quæ labantem disciplinam restaurarent, Synodus generalis Ecclesiæ Gallicanae eorum executioni paucis demptis consensit quidem, sed Pragmatica Sanctioe Caroli V I I. confirmari curavit, qui Constitutis Basileensibus & decretis Concilij Gallicani vim & robur legis publicæ addidit, & inter ceteras Constitutiones regias recenseri jussit, plenamque executionem Curis Parlamenti reliquisque magistratis delegavit. Qua in re Principibus nostris cum Iustiniano & aliis Imperatoribus Romanis convenit, qui Praefectis prætorio & Präsidibus provinciarum legum de disciplina ecclesiastica latarum executionem commiserant, ut apud nos demandata est Curis Parlamenti, & Seneschallis, seu Baillivis. Itaque si quis rescripto à Romana curia elicito tentaret aliquid contra Constitutionum regiarum tenorem, conquerente Procuratore regio, judicum prohibitoribus & mulctis iudicis compescebatur. Vnde Ioannes Dauvet in suo libello appellatio Curiam Parisensem pro Ecclesiæ juribus tuendis & defendendis necessariam esse recte dicebat anno millesimo quadragesimo sexagesimo. Ea autem regiorum magistratum interpellatio in his negotiis locum habuit, donec Ludovicus X I. liberam Pontifici potestatem in administratione rerum ecclesiasticarum hujus regni permisit. Cui novo Ludovici Edicto intercessit Procurator regius, sed Regis imperio cum omnia à Pontifice nutu penderent, Episcopi Gallicani à collationibus & electionum jure tunc penè dejecti sunt. Itaque hac sola tuitionis regiæ auctoritate Libertates Ecclesiæ Gallicanæ restaurari posse profitebantur plena Comitia regni anno M C C C X C I I I. nihilque Episcopis aut Patronis superesse, quo le tutos à rescriptis & censuris Romanae curiæ præstarent, quæ regi præsidij opem. Quare supplici petitione Carolum VIII. rogant ut Pragmaticæ Sanctiois usum restitui à Pontifice impetraret; ea lege, ut si quo Pragmaticæ articulo Romana sedes offendatur, id totum à futuri Concilij definitione pendaat. Restitutus

F f iii

Comitia Turonensia

est à Ludovico XII. qui fuerat aliquot annis interruptus, Pragmaticæ Sanctionis usus, donec tandem pacis initis inter sedem apostolicam & Franciscum Regem, quæ Concordata vocantur, Libertates Ecclesiæ Gallicanæ & potestas regia ad tuendos canones pleno jure sancita sunt, qua de re inferius. Præter eum agendi modum, quo regium auxilium implorabatur, solenne etiam erat hoc seculo, à Pontificis decretis futurum Concilium provocare, de quo remedio appellationis dicetur capite xvi. hujus libri. Ex iis quæ dixi colligere licer, Episcopos & Clericos in angustiis constitutos, tuitionem, patrocinium, & subsidium Regum implorasse, ut eos à Romanæ Curia novis rescriptis tuerentur. Principes verò duplex remedium adhibuisse, tum generali lege lata, quæ canonum executionem restitueret, quemadmodum B. Ludovicus & Carolus VI. & VII. se uterque gesserunt, tum etiam injuncta magistratibus cura, ut in singulis negotiis executionem illam impeditarent. His enim verbis Sanctionem suam concludit B. Ludovicus: *Vniversis iustitiariis, officiariis, & subditis nostris, ac locatenentibus praesentibus & futuris, & eorum cuiilibet, prout ad eum pertinuerit, districte precipiendo mandamus quatenus omnia & singula predicta diligenter & attentè servent, teneant, & custodiant, atque seruari, teniri, & custodiri inviolabiliter faciant, nec aliquid in contrarium quovis modo faciant vel attinent, seu fieri vel attentari permittant; transgressores aut contra facientes juxta casus exigentiam tali pena plectendo quod ceteris deinceps cedat in exemplum.* Eadem est sententia Edicitorum Caroli VI. & VII. quæ tamen id eximium habent, quod jure patrocinij, & per modum defensionis, hoc à Regibus nostris fieri docent, non autem per modum jurisdictionis quæ in Romanæ Curia rescripta exerceatur.

I X. Non omittendum est Reges nostros aliquando, et si nullis precibus Ecclesia Gallicana interpellati essent, novitates à Romana Curia adversus antiquos mores introductas legibus suis & magistratum executione repulisse, ob detrimentum quod inde regni tranquillitati inferri poterat. Exemplum sumendum est è Constitutione Caroli V II. quæ prohibetur ne alienigenæ, seu à regno extranei, ad beneficia in Galliis promoveantur. Ea tempestate, id est, anno millesimo quadringentesimo trigesimo primo (qui Pragmaticam Sanctionem antecedit) episcopatus & cetera beneficia à Pontificibus Romanis conferebantur passim hominibus non solum ignotis, & à regno extraneis, sed etiam hostium Gallici nominis

studiosis, unde & Regis arcana hostibus pandebantur sapissime; divini ministerij infrequentia, & pecuniarum transvectiones, multaque alia incommoda sequebantur; præcipueque Gallorum offendio, qui præmia virtutis & scientiae ab exteris invadi æquo animo ferre non poterant. Ob eas cauſas à decessoribus suis constitutum fuisse refert Carolus ne beneficia aliis quam Gallicæ reipublicæ civibus conferrentur. Quod Carolus VI. coacto utriusque ordinis procerum consilio nova constitutione iterum decrevit, quam Concilio Constantiensi & Martino Papæ edidit, ut ipsi Regis desiderio se hac in parte accommodarent. Carolus VII. post obitum patris idem Edictum renovavit, & à Martino V. ejusque successore suppliciter multoties contendit ut ejus Edicti rationem haberet. Quod cum illi insuperhabuissent, pernicie quæ regno ex eo capite inferebatur amoliendam ratus, totum istud negotium ad suam auctoritatem revocavit; jussitque editio perpetuo ne in posterum ulla beneficia alienigenis conferrentur, vetuit Ecclesiarum Praelatis ne quem extraneum à regno ad ea obtinenda admitterent in vim Bullarum quæ illis essent indulxæ, aut alio quovis modo; præcepitque magistratibus ut Bullarum retentione, bonorum capione, & mulctis inflictis adversus contumaces insurgerent. Nullum privilegium sibi sulsive decessoribus eam ob rem concessum Carolus allegat, quin potius de Pontificum contradictione conqueritur. Quare observatio Glossatoris Pragmaticæ Sanctionis, quæ solâ famâ apud illum constabat, est sublesta fidei: *Vt ferunt, inquit, Rex Francia habet privilegium quod exterius & alienigena non potest beneficiari in suo regno sine eius permissione.*

X. Statim alicui videbitur hæc constitutio jus canonicum evertere, non autem asserere, & patrocinio regio, quod canonibus & decretis Romanorum Pontificum debetur, esse contraria. Etenim Innocentius III. exagitata asperioribus verbis & damnata Thomæ Mauroceni Veneti Patriarche CP. promissione sacramento firmata, quæ Venetis popularibus suis post expugnatam Constantinopolim caverat se nulli præbendas sanctæ Sophiae collaturum nisi Venetis, qui Patriarcham suæ gentis in futurum eligent, præcipit *ut viros literatos, & alias idoneos, undecunque originem duxerint*, in illa Ecclesia instituat. Sed constitutio Innocentij magna æquitate nititur in sua specie. Cùm enim à Francis, licet ope Venetorum, urbs regia capta fuisset, pacis publicæ intererat ne ad Veneti tractus angustias, ex-

In Pragmatica Ca-
roli VI. Perfor-
mar ecclesiasticas
& facultates in
omnibus & singu-
lis favore ex-
pressis ab omnibus
curatione, no-
toria, imprefio-
ne, malversatione,
negligencia, dan-
no, impedimentoo,
& diffusione
pucratur, prote-
gantur, &
defendantur.

Exar. Confessio
Caroli VI. 11. T. 1.
Lib. 2. fol. 6.
Gall. c. 3. n. 6.

Innoc. III. Adh
erens. Declaratio
Idem Innoc. III.
Reg. ep. 3. 1.
Notit. Super ad
rendam locum.

Vnde Odore
scilicet. 1. 1. 1.
5. 1.

elusis Francis alisque Latinae communionis hominibus, qui ad tuendum Imperium undecunque ad urbem accedere possent, beneficiorum illustrium & ipsius Patriarchatus spes omnino redigeretur. Ceterum antiquo iure è Clericis uniuscujusque civitatis Episcopus erat ordinandus, ut docet Celestinus Papa: *Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, sicut de civitatibus ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito preferantur.* Cui Celestini decreto assente- runt olim Gallicani Episcopi; & ejus sententiam retulerunt Reges in Capitularia, qui è propria diæcessi secundum statuta canonum Episcopum eligendum esse docent. Quod ab Imperatoribus quoque Romanis olim constitutum fuerat, de quibuscumque Clericis, ad capitulationis onera peræquanda. Regula ista cum ab aliquot annis, post electiones abolitas, Romanae Curiae rescriptis infracta esset, obtrusis Episcopis & Clericis, non solum ex aliena civitate, sed etiam ex alio regno, non omnino constitutione regia antiquorum canonum vigor assertus est, sed ad usum præsentem accommodatis rationibus prudenter temperatus; ut saltet qui episcopatus vel aliis beneficiis sunt admovendi, è regno petantur, si minus licet eos ex unaquaque civitate petere. Sed de hac re copiose dicemus alibi: cuius tamen mentionem hinc injecimus, ut constaret de duabus regulis. Prima est, Reges ex officio invalescentibus malis & scandalis sedulò prospexitse, interpellata priùs apostolicae sedis auctoritate. Secunda est, Principes muneri suo satisfecisse, cùm partem aliquam antiquæ disciplinae, et si non *integræ*, in usum restituerunt, quatenus ad salutem regni illis necessaria esse videbatur.

C A P V T X.

Synopsis.

I. Quarantone prospiceretur iis qui se ab Episcopis vexatos querebantur in negotiis ecclesiasticis aduersi mōres receptos. Rescripto regio requirebantur Episcopi ut à vexatione cessarent, vel se judicio sistere, bonorum capione indicta. Formula rescripti antiqua ē Regesta Curia Parisiensis.

I. Explicatio illius re scripti. Causa decimalium recensetur inter spiritualia. Si tamen insolita decima perteneret, Reges exactionem prohibuerunt; & excommunications, si qua ob eam rem late essent, revocari iusserunt.

III. Consuetudine tolli posunt decime personales, & predialium quota prescribi. Quin etiam induci ut in certo genere fructuum nulla solvatur decima. Quare antiquum regni nostri, revocetis & revocare faciat. Et si in predictis ius aliquod putatis vos habere, vobis offerimus per presentes quid certa.

constitutio que eam exactionem prohibet est justa, & Covarruvia: qui tamen non docet quaratione Principes ea de re statuere potuerint.

*I. V. Ob scandalum quod inde eriebatur, Philip-
pus auctoritatem suam huic negotio interposuit; ut pat-
tet e verbis rescripti. E nova decimarum exactione scan-
dala nasci fatentur Canoniste.*

V. Ad Regum officium pertinet scandalum à rebus ecclesiasticis amovere, è Leone, & ex Anastasio, & à Leonis Senonensis epistola ad Childebertum. quod sit iure tuitionis.

*V. I. Rescriptis Cancellaria Reges inebantur olim
Libertates Ecclesia Gallicana, ut docet locus petitus è
Comitiss Turonensis anni 1493.*

VII. Privilegia quoque sibi à Romanis Pontificibus concessa, multidis adversus Episcopos indicatis, & honorum eiusdem.

VIII. Severiores poenas imponebant Iustiniani leges Episcopis contumacibus adversus disciplinam.

LIBERATION EST MODERATION

IN S P I C I E N D U M nunc est qua ratione sibi consulerent qui se à Galliarum Episcopis adversus consuetudines receptas & decreta Pontificis vexari in rebus ecclesiasticis contendenter. Exposita per libellum facti specie, rescriptum Principis actori concedebatur; quo monebantur Episcopi ut ab ea vexatione abstinerent, aut si aliquo jure se fultos putarent, ad diem rescripto condic tam se in Curia Regis siste rent caussam suam dicturi, suspensa interim sententia executione, alioqui, pignoribus captis, ad parendum cogerentur per regios ministros. Quod probatur illustri in eam rem exemplo petito è veteribus Curia Parisiensis regestis, quod hīc inferendum putavī: ubi rescripto ad Baillivum seu Seneschalium Santonensem dato inseritur rescriptum ad Episcopum Santonensem *Philipponus Dei*

ad Episcopum Santonensem. **Philippus Dei gratia Francorum Rex Baillivo Santonensi. Episcopo Santonensi literas nostras mittimus in hæc verba: PHILIPPUS Dei gratia Francorum Rex dilecto in Christo Episcopo Santonensi salutem. Frequens ad nos perduxit relatio scripsit.**

*em. Frequens ad nos per auxilium relatio gravibus
conusta querelis, quod vos, seu gentes vestre, vel
officiales vestri, vobis ratum habentibus, contra
consuetudinem diutius observatam, decimam exi-*

*igitis de rebus de quibus prestari non consuevit,
novumque modum decimandi inducitis, in grave
scandalum provincie; & quando populus vobis
obligatus erit, non poteris eum redire.*

*Subditus vobis non obedit, per excommunicati-
onem Consulam & similium rectorum dictorum
locorum, etiam populum ipsum gravatis; quinimò
etiam villa loca preditta in nostra dominia*

*ttiam villas & loca predicta in nostro dominio
xistentia supposuitis ecclesiastico interdicto, con-
tra privilegia nostra. Nos igitur his scandalis
obviare volentes, vos attente requirimus quate-*

obstante sollicitis, vos auctem requirimus quatenus à predictis cesseritis, & attentata in prejudentium & scandalum publicum, & contra statutum antiquum regni nostri, revocetis & revocare fa-